



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ioannis Calvini, Magni Qvondam Genevensivm Ministri,  
Vita, Moribus, rebus gestis, studijs, ac denique morte  
Historia**

**Bolsec, Hieronymus**

**Coloniae, 1582**

**VD16 B 6510**

Capvt V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34782**

ignoscendum, qualem sacer ille Propheta Beza descripsit, verba sunt & sententiae?

## C A P V T V.

**S**ED nimium his immorati sumus, ulterius porrô progrediendum est in vita actionibusque Caluini contemplandis, quem probitatis morumque & doctrinæ laudibus Beza tantopere extulit. Eius itaque mores primùm actionesque spectemus, deinde quæ doctrina fuerit, videbimus. Nihil iam de nativitate dicam, quæ in annum 1509. incidit, quo Nouioduni Picardiæ in lucem editus est; neque etiam commemorabo de patre eius Gerardo Cauino aliud, nisi impium hominem fuisse, & in Deum maximè blasphemum, quod de illo testimonium præcipui aliquot ciues Nouiodunenses interrogati perhibuerunt, Notariusque legalis in publicas tabulas retulit, quarum exemplum cuidam Bartelier, Dominij Senatusque Geneuensis Secretario, Nouiodunum huiusc rei gratia, ut in vitam atque mores Caluini inquireret, & qualis adolescens fuisset, exploraret, præcipue misso, est impertitus. Quod ego testimonium publicum apud hunc vidi, & in ipsiusmet manibus inspexi, & idcirco, ut rem verissimam, commemorare possim. In quo quidem testimonio etiam hoc erat adiectum, Caluinum, cum curatum illic beneficium, & aliud Sacelli cuius-

cuiusdam sacerdotium obtineret, Sodomitici  
sceleris conuictum in vitæ discrimen venisse,  
vt igni, quæ huiusmodi sceleris ordinaria & le-  
gitima est pœna, concremaretur; Cæterum E-  
piscopi vrbis commiseratione pœnam mode a-  
tam, vt cauterio candens eius humero lilium  
inureretur. Quo probro confusus, neque ta-  
lem ignominiam ferens, vtrunque Ecclesia-  
sticum beneficium in pastorem Nouiodunen-  
sem transtulit, & ab eo certa pecuniæ summa  
accepta, in Germaniam, deinde in Italiam pro-  
fectus est, fortunæ, si quam sibi propitiam inue-  
nire posset, se permittens. Illic tum Ferraria iter  
faciens, à Ferrariensi Duce eleemosyna dona-  
tus est. Cæterum silentio præterire nolo No-  
uioduno discedentem, cognomine immutato,  
Caluinum se pro Cauino vocatæ, siue im-  
prudentem, siue consulto & de industria, suis  
quia hoc nomen moribus conueniret, quibus  
malignum illum & vindictæ cupidissimum  
Caluinum expressit, cui iuuenalis, cùm in eum  
xij. Satyram scriberet, hunc versum tribuit. *At*  
*vindicta bonum, quo non felicius ullum.* Sed fuit eti-  
am, cum se Carolum de Heppe aut Hap-  
pe oppidò appellaret, & in om-  
nibus literis subscri-  
beret.

## CAPVT